

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Aliud. Cap. XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

ANNO CHRISTI 431. gelizauerit vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Pro qua igitur cauſa alios omnes omittens, licet Deum inhabitantem habuerint, ſolum prædicabat Ielum, ſicut Deum?

Aliud.

CAP. XXIV.

X.

SCRIPTVM est de Christo : Cum autem eſſet in Ierosolymis in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa que faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſe illis, quia ipſe ſciebat omnes, & quia non neceſſe habebat ut aliquis testimonium perhiberet de homine : ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Si homo eſſet tantum theophorus, quomođ non decepti ſunt multi, qui Ierosolymis in nomine eius crediderunt ? Vel quare ſolus cognoscit quæ ſunt in homine, cum præfertim nemo alijs ſciat ? Finxiſle enim Deus dicitur corda noſtra ſingulatim. Vel quare ſolus remittit peccata ? Ait enim : Quia potestatem habet filius hominis in terra remittere peccata . Quare ſolus præter alios aſſeſſor eſt Dei & Patris ? quare ſoli obſequuntur angeli ? Et nos quidem docuit communem putare Patrem, qui eſt in cæliſ; ſibi autem eum ſpecialiter aſcribit. Sed forte dices, quod huiusmodi voces inhabitandi deputandæ ſint. Nonne igitur eum oportebat, iuxta prophetis conuenientem mensuram, iſpum quoque dicere : Hæc dicit Dominus ? Verum cum ea quæ ſunt ſupra legem, ſancire vellet, aſſumens ſibi conuenientem legislatoris auſtoritatem, aiebat : Ego dico vobis.

Quomodo liberum ſe ait, & non obnoxium Deo ? Ideo, quia eſt Filius veritate. Et ſi eſſet homo theophorus, eſſet ne etiam liber ſecundum naturam ? Solus enim Deus liberat, quia ſolus eſt. Solus enim quaſi tributa omnium exigit, & tamquam loco debitorum, ab omnibus recipit religionem. Et ſi exitus legis & prophetarum Christus eſt, eſt autem homo theophorus, nonne dicere liceat, quod propheticarum prædicationum exitus αὐτοπολαργεῖς crimen nobis induxerunt ? Deinde quidem lex prædicabat : Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies. qua nos eruditione perducit ad Christum, quaſi ad agnitionem illius, qui in vmbbris fuerat posteriorum ? Spernentesne igitur Deum adorare, adorabimus hominem habentem Deum inhabitantem ? Vbi enim præstabilius erat Deum intelligi, in cælo magis, an in homine ? in ſeraphim, an in terreno corpore ? Si erat homo theophorus, quomodo perinde ac nos partici- pauit carni & ſanguini ? Nam ſi, quia inhabitari, hoc ei ſufficit, vt noſtra ſimiſter ac nos participaret (id eſt, hominem factum eſſe) in- habitauit & in multis ſanctis ; homo igitur non ſemel, ſed ſepiſſime factus eſt. Quare ergo ſemel in consummatione ſæculorum, id eſt, in deſtitutionem peccati, per hoſtiā ſuām dicitur apparuiffe ? Quo- modo vnum nobis Verbi aduentum prædicant diuinæ ſcripturæ, ſi theophorus eſt homo ? Templum ſcilicet & ipſe factus eſt Dei, quo- modo etiam in nobis Christus eſt ? Sicut templumne in templis, an vt Deus magis in templis per Spiritum ? Si theophorus eſt homo, cur eſt ſoliſ ipſius corpus viuificum ? Oportuerat enim aliorum

Pſal. 32,

Matth. 9.

Marc. 16.

Matth. 4.

Matth. 23.

Ioan. 8.

Rom. 10.

Matth. 4.

ex Deut. 6.

Hebr. 2.

Hebr. 9.

etiam corpora esse talia , in quibus inhabitauit Deus omnipotens.

*Hebr. 10.
ex Deut. 17.
& 19.* Scriptis autem alicubi etiam diuinus Paulus : *Irritam faciens quis legem Mosis , sine ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur* : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia , qui Filium Dei conculcauerit , & sanguinem testamenti pollutum duxerit ? Atqui diuina erat lex , & mandata dicta per angelos . Quomodo igitur dignus erit deteriore supplicio , qui pollutum duxerit sanguinem Christi ? Vel quomodo potior est religione quæ est secundum legem , fides in Christo ? Sed , ut iam ante diximus , est non similis aliorum sanctorum homo theophorus , sed Deus magis vere , & omni mundo celsorem possidet gloriam ; quod cum Deus sit natura Dei Verbum , factum est caro , siue homo perfectus . Animatum enim & rationale esse quod adunatum est corpus , & credimus , & vera omnino est adunatio .

Quomodo oportet intelligere : Verbum caro factum est , & habitauit in nobis . & quomodo mittitur Verbum , quod Deus est . & quomodo proprium ipsius dicitur corpus .

C A P . XX V .

*Hebr. 2.**Ioan. 1.*

*Luc. 3.
Galat. 1.
Deut. 10.
Gen. 46.
Alt. 7.*

SEMEN Abrahæ apprehendit̄ Verbum Dei vnigenitum , beatus Paulus commemorat : nec non etiam , quod propemodum ac nos participarit carni & sanguini . Memores autem sumus etiam vocis Ioannis . ait enim : *Et Verbum caro factum est , & habitauit in nobis .* Idne igitur fuit propositum viris spiritualibus docere , quod Dei Verbum conuersationis sit patiens : aut quod eum fas sit commutationem , quæ magis creaturæ conueniat , sustinere : adeo ut in id quod non erat forsitan , aut sua sponte deueniat , aut , ut alias , contra ipsum voluntatem ad aliam naturam impellatur ? Absit . Manet namque idem , a sua natura commutationem omnem excludens , & conuersationis umbram nesciens pati . Fixa est enim semper in suis superna illa cœlestisque natura . Quomodo igitur Verbum caro sit factum , videre necesse est . Primum quidem diuina scriptura carnem plerumque nominat , & quasi ex parte , animalis totius significationem facit , nec non etiam a sola anima interdum tantumdem ait . Scriptum est enim : *Quod videbit omnis caro salutare Dei .* Et ipse diuinus Paulus : *Non consensi , inquit , carni & sanguini .* Allocutus est autem eos qui sunt ex Israel , pontifex Moyses : *In septuaginta quinque animabus descendenterunt patres tui in Ægyptum .* Sed non idcirco dixeris , quod nudæ & sine carne animæ in Ægyptum descenderint ; nec porro , quod inanimis corporibus & solis carnibus salutare suum Deus indulserit . Quoties igitur audimus carnem factum esse Verbum , hominem intelligimus ex anima & corpore factum . Est autem Verbum , cum sit Deus , homo perfectus , corpus accipiens animatum & rationale ; idque sibi vere adunavit , (quomodo , ipse scit : nostris enim sensibus huiusmodi cogitationes omnino * cerni non possunt) & nuncupatus * percipi est filius hominis . Sed si oportet tamquam in speculum intuentes dicere , coniecat aliquo modo sensus humanus , adunatum fuisse Verbum